



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Priori Et Conventvi sancti Vincentij Vlixbonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

curavimus auctoritate apostolica confirmare. Quocirca fraternitati *vestrae* per apostolica scripta mandamus quatinus si quis predictas nobiles super bonis predictis presumperit temere molestare, vos illum a presumptione sua per censuram ecclesiasticam sublatu appellatiois obstaculo ratione prævia compescatis. Quod si non omnes &c. nihilominus exequantur. Datum Laterani Non. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

*P R I O R I E T C O N V E N T V I  
sancti Vincentij Vlixbonensis.*

*Epist. 119.  
Confirmatur  
compositio fa-  
cta cum Epis-  
copo Vlixbo-  
neensi.*

**C**um à nobis petitur quod justum est, & honestum &c. usque effectum. Ea propter, dilecti in Domino filij, &c. usque assentiu, compositionem quam dilecti filij F. Prior & P. Cantor Alcobatæ judices à sede apostolica delegati super libertate, exemptione, ac aliis rebus monasterij vestri inter vos & venerabilem fratrem nostrum Episcopum Vlixbonensem fecerunt, sicut sine pravitate provide facta est & ab utraque parte sponte recepta, & in eorum authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostra confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani Non. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

*A B B A T I , S U P E R I O R I , E T  
Sacrifice Alcobatæ Vlixbonensis dioecesis.*

*Epist. 120.  
Super codem.*

**D**ilecti filij Prior & conventus monasterij sancti Vincentij Vlixbonensis à nobis humiliter postularunt ut compositionem quam dilecti filij F. Prior & P. Cantor Alcobatæ judices à sede apostolica delegati super libertate, exemptione, ac rebus aliis ejusdem monasterij inter ipsos & venerabilem fratrem nostrum Episcopum Vlixbonensem fecerunt, prout in eorum authentico continetur, apostolico dignaramur munimine roborare. Ideoque discretioni *vestrae* per apostolica scripta mandamus quatinus compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est & ab utraque parte sponte recepta, faciat per censuram ecclesiasticam sublatu appellatiois obstaculo inviolabiliter observari. Quod si non omnes &c. usque exequantur. Datum Laterani Non. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

*L V N D E N S I A R C H I E P I S C O P O ,  
& Episcopo Rigenfi.*

**A**d nostram noveritis audientiam per venisse quod Strango civis Lunden. De his per suggestionem fallitatis & veritatis suppressionem in quarto affinitatis gradu, quo suam contingit uxorem, à nobis dispensationis litteras impetravit. Afferit namque quod ante contractum matrimonium gradum affinitatis ejusdem ignoravit omnino, ac sibi vita periculum imminebat nisi cohabaret eidem, quod utique à veritate, sicut accepimus, est penitus alienum. Quin potius, si hujusmodi copula permittatur, quamplures exemplo ipsius ad contractus illicitos aspirabunt, nec ab eis poterant cohiberi. Quocirca fraternitati *vestrae* per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, si premissa veritas suffragatur, cum intentione nostra non fuerit hujusmodi pretori mendaci dispensationis beneficium indulgere, litteris illis nequam obstantibus, quod canonicum fuerit sublatu appellatiois obstaculo statutis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani vii. Idus Novemb. pontificatus nostri anno quartodecimo.

*C E S A R A V G V S T A N O E T  
Tyrasonensi Episcopis, & R. Lain Archidiacono Iaccensi Oscensis dioecesi.*

**N**e vinea Domini Sabaoth redigatur in solitudinem ex neglectu, & uanis non valens producere, tribulos gerinet atque spinas, oportet nos in eam mittere operarios, cum ipsam personaliter excolare non valeamus, qui extirpatis nocivis & amputatis superfluis, ac propaginis subrogatis, ad fructus producendum optatos habilem eam reddant. Sanè ex litteris Pampilonensis conventus nostris est autibus intimatum quod cum venerabilis frater noster Episcopus & dilecti filij de' Aries Archidiaconus Oscensis & Decanus Tyrasonensis judices delegati à nobis, Iohannem quandam eorum Episcopum à Pampilonensi Ecclesia removissent, ac sub pena excommunicationis injunxit idem ut electionem de persona idonea celebrent, ipsique carissimo in Christo filio illustri Regi Navarræ mandatum hujusmodi ostendissent, idem id non sustinens patienter, ad sedem apostolicam appellavit, & inhibuit eis ne aliquatenus eligerent sine ipso, graves minas intentans tam illis qui